IVS. AETATIS

EX. LEGE. NATVRALI

ATQVE. ANTIQVITATE. ERVIT

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ET

PRO. LOCO

INCLVTI. PHILOSOPHORVM. ORDINIS

AVCTORITATE

ITERVM. DISPVTAT

CHRISTOPHORVS. LVDOVICVS. CRELLIVS

A. M. ET. POES. PROF. PVBL. E.

LIPSIAE. DIE. XXI. IVNII. A. O. R. M DCC XXIV.

LITERIS. IOANNIS. GEORGII. SCHNIEBESII.

482

Digitized by Google

Digitized by Google

PERILLVSTRI. ATQVE. EXCELLENTISSIMO
DOMINO
DOMINO
LVDOVICO. ALEXANDRO
DE. SEEBACH
DYNASTAE. GERSTADII. ET. VTRIVSQVE. FAHNERII
AVGVSTISSIMO. AC. POTENTISSIMO
POLONIARVM. REGI
ET
ELECTORI. SAXONIAE
A. CONSILIIS. STATVS. ET. SENATVS
SANCTIORIS
DE. SAXONIA. IMMORTALITER
MERITO
OMNIVM. LITTERARVM. ET. BONORVM
COMMVNI. MAECENATI. AC. PATRONO
DOMINO. SVO. GRATIOSISSIMO
IVS. AETATIS
PRIMVM. PIETATIS. IN. *IPSVM.* SVAE
MONIMENTVM
DEVOTISSIMA. MENTE. CONSECRAT
TANTI. NOMINIS

DEMISSISSIMVS. CLIENS
CHRISTOPHORVS. LVDOVICVS. CRELLIVS

483

AETATIS *TIBI* IVRA FERO, SED RVDIA DONA,
QVAEQVE QVEANT TANTAS DEDECVISSE MANVS.
AETATES IMITOR, QVARVM PRIMA, INSCIA, RVDIS,
LABILIS, ET SOLA SIMPLICITATE BONA EST.
ILLA TAMEN, QVONIAM PRIMA EST, INCVLTA PROBATVR,
SAEPEQVE LAPSANTEM CERNERE POSSE PLACET
SIC PRIMIS SPERO, QVAMVIS SINT VILIA DONIS
VEL NVMERI VENIAM *TE* DARE IVRE SVI.
SI COQVET HOC ALIAS THEMIS ALMA IN PECTORE VIRES,
ET PATIERE, *TIBI* HAEC ALTERA SACRA FERAM.

Digitized by Google

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

§. I. *Oſtenditur, Bruta homines in quibusdam rebus antecellere, tam quoad corpus, quam animam.*

§. II. *Inde homines ſæpe brutorum nomine appellari laudarique.*

§. III. *Bruta naturæ ſtimulis eo ferri, quorſum nos ex legis coactione tendimus.*

§. IV. *Majori bruta divinationis, quaam nos, virtute inſtructa eſſe, idque cauto naturæ conſilio factum docetur.*

§. V. *Affertur ratio, cur homo magis lente, quam bruta ſuccreſcat.*

§. VI. *Oſtenditur hominem facultates ſimplices in habitus mutandas accepiſſe, adeoque ætatibus diſtingui.*

§. VII. *Definitio ætatis cum demonſtratione affertur.*

§. VIII. *Ætates dividuntur.*

§. IX *Probatur cuivis ætati diverſa jura & obligationes eſſe, idque a Romanis bene obſervatum.*

§. X. *Nominalis & realis definitio, juris ætatis.*

§. XI. *Oſtenditur eſſe poteſtatem naturalem, eſſe immutabile, adeoque nec ſtatu regio poſſe mutari; ibique de regibus infantibus, infantumque connubiis quæritur.*

§. XII. *Ex defectu virium oriri probatur. Adeoque defectus plura jura parere quam virtutem.*

§. XIII. *Ex defectu habitualium jurium jus ætatis deſcendere oſtenditur.*

§. XIV. *Evincitur ætatem teneram decreſcentemque pluribus, quam mediam juribus armari.*

§. XV. *Majores jura cum obligatione conjuncta accipere, minores mere favorabilia, adeoque in hereditatibus privatorum juniores præferendos docet, inde Saxonum jura laudantur, & jura primogenituræ vindicantur.*

§. XVI.

Digitized by Google

§. XVI. *Falſo primogenituræ jura, ex patris voluntate derivari*

§. XVII. *Neque fratres naturâ æquales eſſe,*

§. XIIX. *Neque ex occupatione illa deſcendere oſtenditur, & Hobbeſ. refutatur.*

§. XIX. *Neque ex ordine naſcendi oriri,*

§. XX. *Neque hereditaria eſſe docetur, & de Hereditate in genere agitur.*

§. XXI. *Neque alimenta, nec dignitates hereditate proprie propagari; & de imputatione gratiæ agitur, quando liberi propter parentum merita aliquid lucrentur.*

§. XXII. *An jus primogenituræ hereditarium ſit, quæritur, privati & principes diſtinguntur, & controverſia inter primogeniti fratres & filios deciditur.*

§. XXIII. *Illa jura a defectuu habituum temporariorum dependere oſtenditur.*

§. XXIV. *Ætati mediæ minima jura tribuuntur; & ætatis jura non ex ſolis annis tribuenda docetur. Itaque etiam de pubertate & majorennitate habendum*

§. XXV. *Ætatis jus, cum jure ſexus comparatur, fœminæque interdum præferuntur.*

§. XXVI. *A naturali defectu jus ætatis deſcendit & ignavis multisque pauperibus non proſpicitur.*

§. XXVII. *Ab illis jura exſpectanda eſſe oſtenditur, qui viribus abundant, adeoque ejusdem ætatis homines ſibi ea præſtare nequeunt.*

§. XXIIX. XXIX. & XXX. *Materia tota componitur.*

§. I. Quæ

§. I.

Bruta homines in quibusdam rebus antecellunt.

QVæ nos a brutis animantibus longiſſime ſejunxit atque ad pulchritudinis cœleſtis quandam imaginem formavit parens natura, quamvis in exornando homine, præ omnibus rebus, quas illa in terrarum orbe generavit, admodum ſtudioſa, atque largiſſima fuerit, interdum tamen in nobis parcior quam in rebus ceteris poteſt videri. Ita undique nobis fere aliquid detractum eſt, quod brutis animantibus ſparſim acceſſit; Neque corpora ſaltim, quæ nobis cum ipſis communia ſunt, ſed ipſæ etiam animæ quibusdam virtutibus ultra hanc noſtram excellunt. Quod ita caute a natura conſtitutum eſt, ut moneat hominem illorum dominum atque rectorem mitibus in illa imperiis uti, quæ & ſuis quibusdam ultra ſe laudibus inſtructa eſſe intelligat; utque ita ſparſim viribus ſuis diviſis omnium neceſſitates aliqua ope atque compenſatione natura conſoletur. a) Hinc modo levitate aptiora ad fugam, modo viribus membris unguibus adverſus impetum magis armata, contra oppugnatores & machinas hoſtium animoſiora, ad vigilias & laborem magis compoſita, & fortius duratura, contra æſtus & frigora magis munita, oculatiora viſu, auribus capaciora, tactu teneriora, dolorum magis patientia, multo robore, multa virtute ultra noſtræ hujus naturæ præſtantiam conſtituta deprehenduntur.

Tam quoad corpus,

§. II.

Quam animam.

Anima eorum quamvis bruta & expers conſilii, non una tamen commendatione noſtram hanc divinam quodammodo atque immortalem antecellit. Ita ad conſtantiam alia, ad magnitudinem animi & decus, ad generoſam æmulationem atque gloriæ ſtudium, ad amoris quædam genera ad ſocietatem & blanditias, ad obſequium alia, ad fidem, ad tolerantiam

a) Arrian. Comment. ad Epict. L. I. c. 2. p. 16.

Google

malorum & moderationem ipſa natura ſtudioſius ferri, atque cujusvis generis ſingula quadam harum virtutum inſtructa eſſe intelligas, *b*) quæ omnia apud nos tam plena raro deprehenduntur; quibusdam etiam vel omni arte atque diſciplina extorqueri vix poſſunt. Adeo ut ſi vel illarum laudum magnum aliquod faſtigium in homine deprehendatur, vel brutorum nomine illum commendes, & ſortem leonem, fidam columbam, generoſi equi inſtar, animoſos, fidos, generoſos ſoleas appellare.

Unde ſolemus brutorum nomine laudari.

§. III.

Bruta naturæ ſtimulis ad illud feruntur, quod nobis per legem imperatur

Inde, eſt, ut quæ nobis imperata ſunt, atque ex legis coactione a nobis exiguntur, expeditius & cum voluptate quadam ſua multo majori bruta ad finem creatoris ſponte moliantur. Inde amant natura tenerius prolem, educant ſtudioſius pullos, ſervant religioſius conjugem, averſantur mortem & dolorem pertinacius, ſui ſimile cupidius generant, ad venerem rectius ex naturæ indole trahuntur; quæ quamvis omnia & hominem tangant interdum, languidiora tamen, & incompoſita magis, atque inordinata, donec directa ad finem, & ratione exculta ſint, deprehenduntur.

§. IV.

Majori divinationis virtute, quam nos, inſtructi ſunt.

Præcipue ſi ſanctiſſimum illud naturæ miraculum, depoſitumque, divinationem animi, qua de futurarum rerum, quæ ad nos pertinent eventu, vago quodam & indeterminato impetu, aliquo tamen, antequam accidant, moneri ſolemus, intueamur, *c*) multo illa in brutis animantibus certior, major & frequentior, quam in nobis eſt; Ut cum illa vel leviſſimas tempeſtatum & naturæ vices ac motus præſentiſcant, adventum lupi, peſtilentiam aëris, venena herbæ prævideant, homo non niſi raro, & ſubobſcure denique de magnis ſaltim & inauditis quibusdam rebus vage & cum incertitudine moneatur. Si naturæ nexum & ordinem exquiras, cur tam magnum & egregium opus homo, infra tot exiguas animas in quibusdam conſtitutus deprehendatur, miram in illis & cautiſſimam naturæ diſpenſationem & conſilium obſervabis. Nempe cum evehere ultra rerum reliquarum ſortem diviniſſimus arbiter hominem vellet, & felicitati abundantiſſimæ, atque imperio in res creatas omnes deſtinaret, ratione illum inſtruxit, qua hæc omnia, quæ ab illis præſentiſcuntur, capere animo, & pleniſſime aſſequi potuit. Ita quamvis illa excellere in his videbantur, hominis tamen perfectioni per mentis & intellectus dotes magis proſpectum eſt. His multo aptius ad finem vel imbecille ſuum corpus, quod in brutis ſæpe fortius eſt, dirigit, magis ad creatoris finem ſe componit, rectius conſilia vel languidis viribus exſequitur, quam copioſiſſimæ vires in animantibus brutis

Quod cauto naturæ conſilio factum eſſe oſtenditur.

b) Arrian. L. I. c. 2. p. 16. ἵπποι γὰρ εὐψυχεῖς ἅπαντες γίνονται, κύνες διωκτικοὶ πάντες.
c) Morhof. Polyh. II. 3. 1. 2. Picus Mirandula L. de Prænotionibus.

brutis effuſæ valebunt. Melius conſilio in abdita penetrat, & molles aditus obſervat, quam illa labore & violentia eò perveniunt; certius & majori aliorum admiratione, ratiocinando & rerum argumentis de futuro conjicit, & eo ſe diſponit, quam divinatione illa, & ſenſus interioris quadam occulta neceſſitate eo deferuntur: plenius ex creatoris in hoc univerſo declaratione naturalem legem colligit, quam illa ex impetu inſano ad illam explendam adiguntur. Hinc ſatius creatori viſum eſt, perfectum animal, ratione, quam viribus, argumentando quam divinatione, & bruto ſenſu, certa cognitione legis, quam naturæ ſtimulis & quadam neceſſitate juvare, atque ad laudem & decus advocare. Hoc conſilio illa omnia nobis mediocria & non niſi in ſubſidium rationis indulſit; quæ brutis, quia ratione deſtituuntur, plane neceſſaria fuerunt.

§. V.

Oſtenditur ratio, cur homo magis lente creſcat, quam bruta.

Hinc illud etiam accidit, quod ſolemus in rerum natura ſæpius mirari, ut, cum animalia pleraque repente & feſtinanter adoleſcant, & quam primum vivunt, ſtatim rem ſuam fere omnem prompte & cum habitu exſequantur, homo, quo perfectior eſt, tanto lentior in illis procedat, & quaſi per gradus quoſdam & caſus varios progrediatur, donec longo tempore, multa patientia & diſciplina ad maturitatem pervenerit. Illorum facultatibus ſui habitus plerique connaſcuntur; homo vires ſimplices accepit, quas ratione demum colat atque perficiat. Homo difficulter primo movet pedem, lente tollit bracchia, offenſat lingua, & balbutit, tandem ſero & poſt multas ambages, ad juvenilem virilemque animum perducitur; Brutis illa feſtinantius contigerunt. Scilicet ita natura comparatum eſt, ut quæ ad majus faſtigium excreſcunt, præſtantiam luant tarditate; quæ viliora ſunt, & obnoxia manent, quidquid viribus detractum eſt, feſtinatione & maturitate lucrentur, ſancto naturæ artificio, cum perfectiora eſſe, quæ uſu & experimentis excoluntur, intelligeret illis, quæ ſponte ſua ad uſum ſufficiunt.

§. VI.

Homo ſimplices facultates accepit, quas in habitus mutat.

Inde hominis vita ætatibus diſtinguitur.

Adeo hominis vires nunquam primo impetu plenæ ſunt, ſed ſemper incertæ & mutabiles manent, modo creſcunt, modo minuuntur; primo ille ſenſim & lente adoleſcit, inde variis exercitationibus ad majora adducitur, per multas moras & temporis ſucceſſiones pergit, atque adeo quodvis tempus ſua incrementa habet, ſuos habitus adquirit, donec partæ multis ſtudiis vires denuo labantur & ſubſidant, tandem plane deficiant; Inde accidit, ut propter hominis indolem quovis temporis articulo aliam & mutabilem illas præcipuas moras, quibus vires ejus admodum augentur vel decreſcunt, obſervarint, atque adeo hominis vitam annis atque ætatibus diſtinxerint, cum apud bruta ætates tam diſtincte non ſoleant inquiri.

486 Digitized by Google

§. VII.

Definitio Ætatis. & Demonſtr. Ætatem dixerunt *a)* vitæ definitum tempus, quo homo per naturæ ſuæ & ſpirituum animalium conſtitutionem naturaliter omni data opera, aliam virium diſpoſitionem ad obeunda officia ſua habere ſolet, quam alii qui in eodem vitæ tempore non ſunt conſtituti, atque exinde a reliquis diſtinguitur. Hæc omnia fere demonſtratione vix indigebunt. *Vitæ diſtinctum tempus* eſt ætas, quia tota vita ſecundum articulos ſuos per ætates diſtribuitur, quod ex nominis uſu perſpectum eſt. Cum infantia, juventus ſenectus de vivis ſoleant prædicari, & momentis invicem differant. Eſt tempus, quo *quis naturaliter aliam virium diſpoſitionem data omni opera habet, quam reliqui,* quia omnis ætas duratione momentorum differt a reliquis ætatibus, omnibus fere momentis vires noſtræ vel augentur vel minuuntur, per §.5.& 6. quod in infantibus, juvenibus, ſenibus cerni poteſt, adeoque aliter vires quavis ætate diſponuntur; & hinc verum eſt, ætates virium diſpoſitione differre; Illa *diſpoſitio ex naturæ indole, & ſpirituum animalium conſtitutione omni data opera, dependet,* quia omnes vires ex ſpiritibus & noſtra opera per naturam elaborantur; atque a natura ſpiritibus animalibus, & objectorum neceſſariorum ſuggeſtione (id eſt, opera noſtra) omnes noſtræ affectiones, exinde etiam virium noſtrarum diſpoſitio dependet. *Vires ad obeunda officia aliter per ætatem diſponuntur;* quia omnibus viribus utimur ad actionem; omnis vero actio vel naturalis vel moralis eſt, & omnis naturalis refertur ad moralem, ſeu juvat & expeditiorem reddit moralem *b)* omnisque moralis circa legem ſeu officia verſatur, adeoque quo plus virium eſt, tanto rectius expediri actiones morales ſeu officia poſſunt; & hinc negari non poteſt, omnem virium diſpoſitionem ad obeunda officia aliquid conferre. Bre. bus: quia omnibus viribus utimur ad finem, & omnis rectus finis eſt finis Dei, adeoque officium, patet; omnes vires aliquid conferre ad officiorum obſervationem. *Diſtinguuntur ætate homines* ſeu diverſum ſtatum acquirunt, quia ex diſpoſitione virium omne jus & obligatio dependet, ex quorum differentia omnes ordines & ſtatus, ſeu ut barbare dicam diſtinctiones oriuntur.

§. IIX.

a) Ita & moraliter & phyſice definitur. Alii per ſolum annorum numerum ætates diſtingvunt; Sed hæc differentia vacillat; namque ætas eſt ordo; annorum, numerus non ſemper æqualium virium diſpoſitionem conjunctam habet; adeoque cum poſſint homines annis æquales, viribus inæquales in eundem ordinem ſive ad eandem ætatem referri, atque ita eadem jura accipere, hoc fundamentum lubricum eſſe apparet.

b) i. e. quo rectius procedunt actiones naturales, eo plus virium adquirimus ad morales.

§. IIX.

Cum vires noſtræ habituales per temporis ſpatium perpetuo vel creſcant, vel, cum in ſummo flore fuerunt, denuo minuantur, omnem ætatem ſolent in creſcentem mediam & decreſcentem dividere; Quas cum variis modis diſtinguant, nobis liceat pauca obſervare. Tum creſcit, homo duobus quaſi gradibus ad maturitatem perducitur; Primo maxime mechanicæ homines vires & corporis & mentis memoria augentur, quam *infantiam* & *pueritiam* ſeu uno verbo *ætatem teneram* ſolent appellare. Inde magis vires nobiliores intellectus cum viribus mechanicis excoluntur, hanc *juventutem, ſeu ætatem adultiorem* appellant. Dein utræque vires ad ſummum decus & maturitatem perducuntur, hanc *mediam ſeu virilem* ætatem dicunt. Inde duobus gradibus decreſcunt. Primo mechanicæ vires ſubſidere incipiunt, reliquæ multam partem integræ ſervantur, hanc *ſenectutem* appellant. Inde utræque vires ultimo conficiuntur & ſenſim exſpirant, illa *ætas decrepita* eſt. Ita quinque modis in teneram, adultam, virilem, ſenilem & decrepitam dividitur. *Diviſio.*

§. IX.

Ex his omnibus illud conſtat, ſingulas ætates viribus a ſe invicem diſtingui, & quamlibet aliquas vires habere, quæ aliis deſunt & quamlibet egere quibusdam, quæ in aliis ætatibus large deprehenduntur. Hinc cum omnis virium novus defectus novam opem & jus mereatur, quævis virium nova copia, ſi directio accedat, novo uſui & actioni, ne inutilis ſit, adhiberi poſſit, ipſa natura poſtulat, ut cuivis ætati alia auxilia & jura indulgeantur, cuivis ætati, quæ dirigere actiones poteſt, novæ actiones ſeu obligationes imponantur, *a*) ut ad communem felicitatem communi opera poſſit adſpirari. Si enim cujusvis neceſſitati proſpectum voluit numen immortale, manifeſtum eſt, illi, qui virium defectum ſentit, jus datum eſſe a creatore, ut inopia ejus aliorum opitulatione compenſetur. Atque idem ille, ſi nihil fruſtra fecit, illos, qui viribus abundantibus ab ipſo inſtructi ſunt, obligatos voluit, ut aliis ſuccurrant, atque, quibus viribus ipſi opus non habent, ut illas ſocietati & indigentibus ſacras faciant atque cum voluptate diſtribuant. Cumque virium defectus atque abundantia in diverſis ætatibus diverſa ſint, patet, quod pro illo diſcrimine, alia atque alia ætatibus jura & obligationes conſtituantur. *Inde patet cuivis ætati diverſa jura & obligationes eſſe.* Quod cum intelligeret olim pleniſſima omnis boni exempli reſpublica Romanorum; ipſa ut cuivis ætati ſua munia, ſua etiam commoda & voluptates eſſent, diligenter conſtituit; aliam diſciplinæ, honoribus aliam, muneribus reipublicæ, magiſtratibus ætatem deſtinavit, ut his quaſi ambagibus circumactos tandem ad majora perdu- *Illud Romani bene obſervarunt.*

A 3 cerent,

a) Quia virium defectus eſt origo jurium, virium abundantia obligationum.

cerent, & uſu rerum exercitatiſſimos cives reipublicæ præſtarent. Ita per omnes ætates ſollicite & cum cura verſati ſunt. Adduxit illa me Romanorum providentia in conſilium, quod molior; ut tum ex naturæ ſanctiſſimis juribus, quid cuivis ætati conveniat, & debeatur, exquiram, tum quomodo de illis rebus Romani ſenſerint, ex antiquitate proponam; Inde quod ſalubre exemplo ſit, commendem. Primum Jura ætatis in genere perſequar. Faxit Deus feliciter!

§. X.

Definitio Juris ætatis nominalis.

Jus ætatis primo legem ipſam poteſt notare, atque omne illud complectitur, quod de ætatibus lege ſancitum eſt; & quidquid vel ipſi homines in ætate conſtituti aliis debent, vel a reliquis ætatis privilegio exigunt, explanat. Deinde jus etiam ſolos illos legis favorabiles effectus notat, quorum vi ab aliis illa deſideramus, ad quæ in noſtrum commodum obligantur. De illis nos loquimur, & beneficia illa interpretabimur, quæ ad quamvis ætatem propter neceſſitates naturæ & nullo alio titulo pertinent; adeoque illa in quantum obligationi opponuntur, trademus. Hoc animo, *Jus ætatis*, poteſtatem hominis naturalem dicimus, a virium habitualium & temporariarum defectu naturali ortam, vi cujus a reliquis, qui viribus illis abundant, opem & commoda quædam per tempus illud, ad fines Dei implendos ex legis diſpoſitione poteſt poſtulare.

Definitio Juris ætatis realis.

§. XI.

Demonſtratio axiom. 1. Eſſe poteſtatem naturalem.

Naturalis poteſtas eſt jus ætatis, in quantum civili opponitur, quia vel ſine civilium magiſtratuum ſanctione, ipſius naturæ ſanctiſſimo artificio & concinnitate conſtitutum, & homini ſignificatum eſt, velle creatorem, ut indigentibus potentes ſuccurrant, atque communem neceſſitatem ſua ope & conſpiratione ſolentur. Ex quo illud intelligitur, naturalia ætatis jura immutabilia eſſe, & quamvis magiſtratus civilis lege ſanciri & expreſſius definiri propter ſtuporem hominum poſſint, tamen neque imperantium voluntate neque loco aut tempore ſolo poſſe confundi & extingui. Itaque vel de filiis Regum habendum; qui quamvis in ſumma fortuna conſtituti ſint, ætatis tamen jura proferre aut in majus extendere non poſſunt, quia ex naturali lege, & ſuo cujusque ingenio & indole deſcendunt, atque adeo noſtra voluntate fingi aut in aliud mutari non debent. Ita infantes Reges, quamvis terrarum domini naſcantur ne ſervulo quidem naturaliter imperare poſſunt, donec ætatis jura poſt ingenii maturitatem de aliis ſtatuere ipſis permittant, atque ad imperandi habitum temporis diuturnitas & uſus ipſos perducant. Neque ducere uxores, & connubia contrahere, ante rationis uſum, & corporis confirmationem poſſunt principum ſoboles, donec utræque vires ad generandam ſobolem atque regendam familiam

Cum conſectariis. 1. Ergo immutabilia ſunt jura ætatis. Et corollariis 2. Ergo vel ſtatus & fortuna regni jus ætatis non mutat.

liam ſufficiant, atque a natura elaborentur. Neque enim avi aut proavi dignitas imperandi peritiam aut corporis virtutem auguſtiorem in ſobolem tranſmittit, neque natura principum liberos, citius quam miſeri coloni ruſticam prolem ad magnos animos comparavit, ſed hæc a natura omnibus æqua ſorte atque promiſcue tributa ſunt; neque priusquam illa moras ſuas expleverit noſtra feſtinatione præcipiuntur. Propter reipublicæ tamen & vicinorum ſecuritatem, & propter ſtatus, quas vocant, rationes ad affinitates contrahendas, poſſeſſionemve occupandam rerum illarum titulo & ritibus uti non prohibentur; ſi modo ab horum jurium, quorum ritus expleverunt, exercitio usque ad ætatem ſuam abſtineant. Quod infra ſub infantiæ juribus copioſius perſequemur. Neque tamen propter gentis dedecus, aut parentum indignitatem quis minus ætatis jure utetur, aut a matrimoniis & regenda familia excludi, ſegnius ali, & cuſtodiri, remiſsius ad veritatem & virtutem inſtrui, debet, qui inter ſordidi tecti miſerias prodiit, & pauperis parentis rura exercet; ſed natura cujusvis neceſsitatibus æque ſubveniri voluit. Interdum tamen hæc omnibus æque præſtari vitæ conditio prohibet, *a*) atque adeo ex pluribus pauci, ſecundum ſpei gradus, qui etiam ex dignitate & indole parentum derivari poteſt, eligendi ſunt, & tunc aliqua regum filiis præ civibus inferioris ordinis prærogativa debetur.

3. *Ergo infantes Regum liberi, quamdiu infantes ſunt, non poſſunt imperare.*

4. *Non poſſunt uxores ducere Reges infantes.*

5. *Neque natales nos ab ætatis jure experiundo prohibent.*

§. XII.

Ex defectu virium oritur ſecundum creatoris voluntatem jus ætatis, quia hic communis fons eſt, unde omnis commodorum exſpectatio, omnia humana jura pendent. Quippe nihil potes ab aliis exigere, niſi ipſe indigeas. Et parum felicitatis Tibi ex aliorum auxilio accederet, niſi illo opus haberes; Fruſtra Tibi aliorum vires & bona ingererentur, ſi ad neceſsitates & commoda tua inutilia eſſent, & tua abundarent. Neque enim in alio plures vires abundantes ſunt, quam ad reliquorum defectus ſupplendos deſiderantur; ut adeo vel hoc titulo antea opem expectare non posſis. Adeo nec merita nec virtus ſola, nec excellens ultra reliquos animus aliquam tibi ſpem majorem indulgent, aut in alios poteſtatem, ſed inopia & virium penuria reliquos advocant ad ferendam opem & obſequium præſtandum; ut magis egeſtas & imbecillitas tua, quam abundantisſimæ vires, ad ſpem commodorum tibi profutura videantur. Quamvis enim & virtus & excellentia interdum adquirere jura dicantur, (ut ſapientisſimus regni & obſequii aliorum, eruditus venerationis jus adipiſcitur) tamen illud non ex ejus excellentia ſola per ſe deſcendit, ſed quia ſimul obligationem ex hac excellentia habet, ut ſapiens, officium dirigendi alios ex ſapientia, eruditus

Demonſtr. ax. 2. Cum Conſectariis & Corollar.

Ex defectu virium oritur.

Conſect. 1. *E. defectus plus poteſt ad jura, quam virtus, & merita.*

a) Quod raro accidet, propter officiorum illorum generalium facilitatem.

tus docendi munus ex ſcientia, quam obligationem ſine aliorum ope obſequio & veneratione explere non poteſt; Ideo propter defectum & neceſſitatem obſequii & venerationis hoc jus ipſi conceditur.

§. XIII.

Axiom. 3. Demonſtratio cum Conſectariis & Corollariis. Ex defectu habitualium jurium deſcendit.

Ex defectu habitualium jurium ætatis jura proficiſcuntur, quia omne jus ex defectu deſcendit p. §.2.15. & nihil nobis per ætatem, quam habitus deficit. Facultates enim noſtræ cum ipſa vita ad nos perveniunt, & niſi naſcantur nobiſcum, per ætatis & temporis ſucceſſionem adquiri non poſſunt, neque priusquam hic ſpiritus nos deficiat, totæ exſpirant, atque adeo per ætatis ſolam injuriam nobis deeſſe dici non poſſunt. Facultatum enim natura in eo poſita eſt, ut ex Deo nobis immediate ſine noſtra ulla actione concedantur. Illæ, cum primum nati ſumus, nobis amplius non contingunt; ſed quidquid tunc virium nobis accedit, motu, & ſtudio, & actione noſtra adquiritur, & ſine illa ad nos non perveniret. Quamvis enim vel nobis invitis natura novas quasdam vires elaboret, tamen illæ in membra non penetrarent, neque mentis vires & operationes augerent, neque nos robuſtiores facerent, niſi motu & directione noſtra, id eſt actione invitarentur. Quidquid autem virium ſine noſtra actione nobis non accederet, ad habituales vires pertinet; Atque ita ſoli habitus reliqui ſunt, quorum defectus ætate & mora poſſit ſuppleri. De facultatibus fruſtra ſolliciti ſumus, quæ a ſolius creatoris larga benevolentia conceduntur; de habitibus noſtrum eſt providere, eo mentem, animos, conſilia omnia componere, donec & motu expeditiores ſint, & ſtudio ac induſtria ad finem melius regantur. Eo ambagibus, conſiliis, artibus multis pertingitur. Ita infantes & ſenes poſſunt pedibus uti, verum apte, atque compoſite atque ad numerum movere nequeunt. Adoleſcentes ipſi etiam ratiocinari & providere in futurum poſſunt, at caute & circumſpecte minus, & non niſi poſt multas moras atque offenſiones. Ipſa enim habitus natura nobis argumento eſt, illas quia exercitatione, directione, & hinc orto copioſiori affluxu virium adquiruntur, ſine mora & intercapedine non parari. Cum enim & ſpirituum copia ſenſim demum & ſero ex multis alimentis & motibus excoqvantur a natura, & exercitium repeti crebris actibus debeat, denique directio virium pleniſſima ſit laboris, atque lente & difficulter procedat, obſcurum eſſe non poteſt, tempus diuturnum atque longinquum formandis habitibus impendi, donec per dies ſingulos matureſcant atque perficiantur. Tandem cum ipſi habitus, quando ad ſummam virtutem pervenerunt, quo longius vita trahitur tanto magis evaneſcant & diffluant, & extremo omnes ſubſidant, pronum eſt, ipſos etiam habitus, ſenſim longiori mora decreſcere, atque exanimari, atque adeo temporis ſucceſſione vel minui vel augeri. Singulas temporis moras & ſucceſſiones ſolemus ætates appellare;

lare; Quibus cum augeri & minui habitus oſtenſum ſit, defectus habitualium virium in ſingulis ætatibus diverſos deprehendi apparet.

§. XIV.

Patet exinde porro, quia ex defectu habitualium virium deſcendunt ætatis jura, quo plures deficiant vires, tantoplus jurium adquiri, adeoque infantibus ſenibusque plura, quam omnibus aliis deberi; atque inde adultiori & confirmatæ ætati minime omnium parcendum, ſed quo magis valeat, tanto pluribus officiis onerandam eſſe.

Conſectarium

1. Tenerior & decreſcens ætates plura jura, quam confirmatiſſima ætas habent.

§. XV.

Ipſa exinde naturali ratione conficitur, jura quæ obligationem graviorem conjunctam habent, *a*) rectius ad adultos referri, quos ſi rem ſtrenue gerant, natura copioſiſſime viribus inſtruxit, ut ad obligationem pleniſſime ſufficiant; Illa quæ mere favorabilia dicantur, & plena miſerationis ſint atque emolumentorum, ad primam extremamque ætatem tanto magis pertinere, quanto utraque imbecillior eſt, & ſine aliorum ope nequit ſervari. Inde in utiliter accepta hereditate potiora ad minores jura, quam ad fratres maximos referuntur; quæ quamvis & ipſa oneribus quibusdam circumſcripta ſit, tamen plenior eſt favoris & commodi quam obligationum. Adeoque recte Saxonum Jura juniori fratri partium hereditatis optionem reliquerunt, quia ejus commodis ſtudioſius proſpiciendum intellexere. Landr. L. III. art. 29. Conſt. Elect. 15. P. 3. Contra primogeniti ſ. adultiorum jura in regenda ad tempus patris defuncti familia, hereditatis diviſione, in ſucceſſione ad patris regna ſucceſſiva, in obtinendis ſuæ gentis dignitatibus, honoribusque adminiſtrandis, majora ſunt, & maximo natu poteſtatem ampliorem, quam reliquis omnibus indulgent, quia ſine magno ſtudio & circumſpectione, ſine reguendi, dividendi, imperandi habitu ſervari illa non poſſunt, qui in adultis maximus eſt, pleniora tædii laborumque, ad quos natura illos & ætas optime comparavit, quam bonorum atque voluptatis. Adeoque recte ſacerdotium gentis ſuæ, & ſolemnium faciendorum munus primogenito multi populi commendarunt, *b*) quia ad tantam occupationem optime ſuffecturus videbatur. Ita recte in hereditariis & ſucceſſivis regnis imperium ad primogenitum pervenit, quem & regia vita, quam inter reliquos diutiſſime egit, & imperii uſus longiſſime obſervatus, denique parentis conſilia & diſciplina, quæ primogenitis & diutiſſime & tenerrime ſolet adhiberi, ad illam dignitatem ante reliquos inſignem fecit. Quæ omnia cum in ceteris fratribus minora ſint, & vitæ aulicæ impriınis uſus tam

2. Majores jura cum obligatione conjuncta magis accipiunt, minores, favorabilia.

3. In hereditatibus inter privatos minores præferuntur.

4. Inde Saxones recte minori electionem dedere.

5. 6. 7. Ergo adultiori competit jus primogenituræ,

a) Illa enim potius ad obligationum genus pertinent, & jura ejusmodi ſaltim ad melius impledam obligationem tanquam media unica conceduntur.

b) Grot. ad Deuter. c. 21. 17. Bern. Varen. deſcirpt. Japon. c. 15.

Digitized by Google

adeoque directio, diviſio, ſucceſſio ad imperium.

tam creber & longus ipſis quam primogenito propter ætatem eſſe non poſſit, imperium ad illos cum tam largo emolumento reip. non derivaretur. Ita recte Cyrus apud Xenophontem: *a*) τὸ πρωτηγεῖσθαι προστάττει τῷ προτέρῳ γενομένῳ καὶ πλειόνων καὶ τὸ εἰκὸς ἐμπείρῳ quam rerum cognitionem primogenito temporis atque ætatis beneficium ſolebant comparare. Atque ſic apud

8. *Primogenito recte ſacerdotium conceſſere.*

plerasque gentes conſtitutum eſt, *b*) inter ipſos Deos immortales hac lege conveniſſe Homerus auctor eſt, ut quamvis Saturni filiis ſolum patrium commune & genus unum eſſet, Jupiter tamen quia ſenior & major erat, in imperio præferatur. *c*) & Periander apud Corinthios κατὰ τὸ πρεσβεῖον ſ. ætatis jure ſucceſſit. *d*)

§. XVI.

9. *In regnis ſucceſſivis.*

10. *Falſo primogenitura, ex patris voluntate derivatur.*

Alii primogenituræ jura ex parentis voluntate falſo derivant, qui primogenitum cum naſceretur & antequam alii adeſſent, primum imperio deſtinarit, & in ea voluntate, quia hic primus fuerit, tamdiu perſeveraſſe credendus ſit, donec alium expreſſe deſignet. Illi enim cogitare debebant, non ex parentis voluntate ſed reipublicæ ſalute de ſucceſſione in regnis ſtatuendum eſſe, neque a patre pendere, quem reipublicæ poſt ſe imperatorem obtrudat, nec rempublicam obligari, ut ſecundo genitum, ſi pater illum ad imperium deſignet, eo admittat; ſed primogenitum ſuo & ætatis jure propter imperandi maximum habitum uſu aulæ longiſſimo & tempore melius quam a reliquis fratribus adquiſitum, vel invito parente, niſi aliud quoddam vitium obſtet, ad regnum pervenire, & reipublicæ deberi.

§. XVII.

11. *Falſum eſt, fratres natura æquales eſſe.*

Qui omnes fratres natura æquales credunt, & nulla primogenituræ jura, niſi pactis & conventionibus conſtituta ſint, agnoſcunt, *e*) nulla ratione naturali ducuntur, & quæ a natura tam ſtudioſe disjunctæ ſunt, ætates confundunt. Namque cum vires & habitus fratrum pro ætate diverſi ſint, patet illos in diſtribuendis juribus muneribusque æquales non eſſe. Rectius Ariſtoteles, ſola ætate fratres differre, cetera æquales eſſe deprehendit *f*) atque ita ex diverſis habitibus, ad quos ætatis beneficio adſpirant, eſſe aliter habendos, intellexiſſe videri poteſt, quod & ſua quemque neceſſitas poteſt docere.

§. XVIII.

a) Xenoph. de Expedit. Cyri. L. III.
b) Zoſim. L. II. de Perſarum primogenituræ lege ſic loquitur: τοῦ νόμου τὴν βασιλείαν τῷ πρεσβυτάτῳ τῶν βασιλείων παίδων διδόντος.
c) Hom. Iliad. XIII. de Regnô Cretæ. ἀλλὰ Ζεὺς πρότερος γεγόνει καὶ πλείονα ᾔδη.
d) Grot. de Jur. Bell. & Pac. II. 7. 8. 18. vid. ibi notata.
e) Eſt inter illos Puffendorffius de Jur. Nat. & Gent. III. p. 2. §. 5.
f) Ariſt. ad Nicom. VIII. 11. ἀδελφοὶ ἴσοι, πλὴν ἐφ' ὅσον ἡλικίαις διαλλάττουσι.

§. XVIII.

Neque tamen, quia primo occupare animo imperium; cum primo naſcantur, primogeniti videri poſſunt, ex occupatione ad illos ætatis prærogativa pertinere cum Hobbeſio *a*) putandum eſt, quia occupatio ſola, niſi naturali ratione juvetur impetus eſt, & jure nullo adverſus alios valet; quos ſolus habituum, qui in primogenito deprehenduntur, defectus ad relinquendum ipſi imperium adducit.

12. *Neque jus primogeniture ex occupatione deſcendit & refutatur Hobbeſ.*

§. XIX.

Inter privatos tamen merita, & vitæ antea actæ commendatio præ reliquis fratribus primogenito nihil indulget; ſed ſola capacitas quorundam jurium cum obligatione conjunctorum, quæ in ipſo maxima eſt, quasdam ipſi prærogativas, ſine quibus implere officia ſua non poterat, præ junioribus indulget, qui propter defectus eo non ſufficiebant. Neque ordo naturæ primogenito quæ ipſum inter reliquos primum produxit, & quaſi ante omnes in poſſeſſione rerum paternarum conſtituit, efficiet ut pluribus ipſe bonis & juribus quam reliqui fruatur. *b*) Ordo cujusque non ex caſu fortuito, ſed ex ſua cujusque natura derivatur. Natura ex viribus judicanda eſt, quibus ſi abundet vel egeat, obligationes & jura ipſi imponuntur. Illa ſortitio ſola naturæ, & ordo ſine virium diſpoſitione nihil tibi aut imperare aut indulgere poteſt, quia per ordinem, nec eges minus, nec magis abundas, neque inde officia tua, quæ pro viribus & neceſſitate imponuntur, poterunt diſponi. Tandem in favorabilibus minorum, quam primogenitorum melior ratio eſt, adeoque alimentis & ſecuritati illorum tanto largius, præ adultis proſpiciendum, quo certius aliorum ope & miſeratione præ reliquis videntur indigere. *c*)

13. *Inter privatos jus primogeniture*

14. *Non jus primogeniture ex ordine nature deſcendit.*

15. *In favorabilibus primogenitus poſt ponitur.*

§. XX.

Denique quia ætatis jura ex defectu habitualium virium deſcendunt, habitus vero cujusque proprii ſunt, & hæreditate non propagantur, ſed ſingulorum ſtudio & labore multo adquiri, atque e cujusque natura æſtimari debent; patet ætatis jura hereditaria non eſſe, neque a parente in ſobolem aut agnatos, cum reliquis juribus & bonis transferri. Eſt quidem naturali jure de hereditatibus in genere ita habendum defunctorum bona, & quidquid in ipſorum dominio fuerit, mortuo domino ad rempublicam denuo perti-

Ætatis jura hereditaria non ſunt. & in genere de hereditatum moralitate agitur.

a) Hobbeſ. de Cive. c 13. §. 15–18.

b) Puffendorff. l. c. ordinem naſcendi credit fundamentum primogeniture.

c) Confer in genere de hac materia. Marqv. Freher. de Suc. Princ. in primogenitis & eorum heredibus. Arn. Engelbrecht de ſucceſſ. Electorum ex Jure primogeniture. Mart. Garadum, Laudenſem, de primogenitura. Melch. Goldaſti de Jure Repræſ. in primogenitura. Ludov. Molinæ de primogenitura aliosque quos Lipenius habet in Biblioth. Jurid. p. 416. ſqq.

pertinere, quæ primum dominia conſtituit atque diſpenſavit. Enimvero cum dominia neque a republica ſatis coli, & inde egentibus proſpici, neque, ſine ejus detrimento relinqui inculta poſſint, naturæ conveniens erat, ut respublica in alios poſſeſſores illa a defunctis transferret, qui & egeant illis & e ſocietatis emolumento dominia poſſint adminiſtrare. Cum vero ipſi imperantes, qui tam crebro inter privatos non verſantur, optimos deſignare non poſſint, neque quis egeat, vel aptus ſit adminiſtrationi, norint, ſed hæc omnia ab ipſis privatis & rectius ſciri & conſtitui potuerint; illud moribundorum optioni relictum eſt, quem ipſi (ſi liberi non adeſſent, quos certiſſimum eſt egere) rerum ſuarum indigentem, & poſſeſſionibus dignum arbitrentur, quemque bonorum heredem velint deſignare. Ita ad heredes bona defunctorum derivantur, qui in omne jus defuncti ſuccedunt. Poterat inde videri, heredem qui in omne jus ſuccedat, ab defuncti ætatis juribus, quamvis ipſe in alia ætate conſtitutus ſit, excludi non poſſe. Sed cum hereditates a republica propter dominiorum adminiſtrationem ſaltim conſtituta ſint, manifeſtum eſt, civilia tantum & realia jura, quæ ex dominio oriuntur, hereditate propagari; perſonalia jura per rempublicam transferri non poſſe, ſed e cujusque natura & ſtatu tribui, cum quo etiam exſpirant atque extinguuntur. Atque ita de ætatis jure tenendum.

§. XXI.

16. *Adeoque alimenta quæ ætatis jure debebantur, hereditate non propagantur; neque dignitates. De imputatione gratiæ & quando filii propter parentes jura lucrentur.*

Adeoque nec frater heres infantis, alimenta fratris, quæ ipſi ex ætatis jure debebentur, capit: neque ſenatoria dignitas, quæ parenti, propter peritiam & virtutem conceſſa eſt, atque ex habitibus deſcendit ad filium ſucceſſione propagantur. Ex ſua quemque natura & habitibus metimur, inde quod deeſt ſupplemus, quod ipſi ſupereſt, in aliorum commoda diſpenſare jubemus. Aliena virtus aut indigentia nobis neque ad obligationem, neque jura adquirenda ſufficiunt. Et quamvis parentum dignitas & laus interdum filios ſocietati ante reliquos commendabiles faciant, quam ſolent imputationem gratiæ vocare, atque aliqua propter illos bona & commoditates, in nos derivare ſoleant; illud non noſtro neque ætatis jure nobis debetur, ſed propter reipublicæ quædam ſingularia commoda & exſpectationem, aliqua interdum propter parentes filiis præſtantur. Enimvero cum reipublicæ omnino interſit, cives etiam cupiditatis aliqua deſiderio & ſtimulis internis ad laudem & officia ſtrenue exſequenda agitari, ut tanto plenius illa ſuſcipiantur colanturque, nullum efficacius ad ingenium hominis viſum remedium eſt, quam ſi liberorum illos caritate ad rempublicam advocemus. Inde quia teneriori ſtimulo ad laudum, & periculorum aleam ſubeundam urgeri poterant, qui ſciant, ſi bene mereantur, & res egregie gerant, in laboris compenſationem, liberis illorum proſpectum iri;

ad cal-

ad calcaria parentibus ſubdenda bene merentium, filiis aliqua prærogativa promiſſa eſt.

§. XXII.

Id altius repetendum videtur in ſucceſſionibus, hæreditates quæ pa- 17.
tri ex ætatis prærogativa præ reliquis fratribus, debebantur, an poſſint in
alius ætatis filium ita propagari, ut infans vel adoleſcentulus in patris pro-
pter ſenium reliquis prælati locum ſuccedat, atq; ita reliquis defuncti agna-
tis præferatur. ſeu an filius poſſit patrem repræſentare. Quæ inter primoge-
niti filios & patruos ſ. defuncti fratres frequentiſſima controverſia eſt; cum,
& filii primogenituræ jura hereditate a parentibus ad ſe transferri, ſeque in
locum illorum plane ſubire credant, defuncti vero fratres patrui ætatis jura 18.
hereditaria eſſe negent, ſed ex ſua cujusque natura competere, neque in ætatem adeo diſſitam a parentibus in filios transferri poſſe arbitrentur; ſed mortuo primogenito ad fratres ætate quam filios propiores credant tranſire. In quo genere alia inter privatos, alia inter principes ineunda ratio eſt. Privatorum in patrimonialibus bonis hereditates, & primogenituræ jura, plerumque plena favoris ſunt, & pauca officia conjuncta habent; adeoque rectius ad defuncti filios etiamſi impuberes, quam fratres defuncti adultos referuntur; quippe cum neceſſitas & indigentia illos digniores videatur præſtare. Neque hereditatis tamen aut parentis, ſed ſuo proprio & ætatis jure ea omnia lucrantur, quia ipſa natura illos, quam fratres, commodorum eſſe indigentiores oſtendit. Contra in feudis, quorum poſſeſſio cum præſtationum ſervitiorumque quorundam neceſſitate conjuncta eſt, niſi per alios (quod plerumque accidit,) præſtari poſſint, naturæ conveniens eſt, illa potius ad adultos fratres primogeniti, quippe a natura habi-
tibus melius inſtructos quam liberos impuberes pertinere. Inter prin- 19.
cipes arbitrari difficilius eſt. Et invenio apud gentes in illis rebus alia atque alia conſtituta. Sic apud Corinthios in ætatis privilegium ſuccedi non potuit, & e regis defuncti filiis natu major, non nepos ex primogenito ſucceſſit, quod Grotius ex Diodoro Siculo obſervat. *a*) Apud Vandalos heres regni fuit, qui ſanguine proximus & major natu eſſet, adeoque filius ſecundum genitus, primogeniti filio potior habitus. *b*) In Sicilia Robertus Martello majoris fratris filio in imperio præceſſit. Alii primogeniti lineam, & quamvis infantes filios, ante fratres ſ. patruos ad imperium evexere. Ita in Anglia Eduardi ex primogenito nepos ante ejusdem fratres Hermonem & Thomam, eodem Grotio monente, ad regnum pervenit. *c*) In Electoratibus Germaniæ lege pragmatica Caro-

De hereditate juris primogenituræ in ſucceſſione

Privati & principes ſunt diſtinguendi. Apud privatos filiis præferri debent primogeniti ſoboles.

Apud principes non ætatis ſed ſuo jure plerumque præferuntur, niſi infantes.

a) Grot. de jure belli & pac. II. 7. 30.
b) Procop. de Bell. Vandal. L. III.
c) Grot. l. c.

lina Aur. Bull. c. 7. jus primogenituræ ſancitum eſt,& primogenito nepos ſine controverſia præfertur. Nobis ne tunc quidem ætatis privilegium, quod ex habitibus non propagandis deſcendit, hereditate videtur transferri poſſe; ſed primogenitorum filii, ſi paululum adulti ſint, & aliqua de illis ſpes habeatur, non patris ſed ſuo ſaltim jure in principatum ante patruos ſuccedunt, quia primogeniti tota gens propter ſpem ſucceſſionis, & patris dignitatem, magis in aula verſatur, imperii artes in imperante melius obſervat, a parente primogenito, qui vivus ad imperii receſſus magis, quam reliqui fratres, admittitur, molles aditus & conſilia ſalutaria rectius diſcit, atque in imperii uſu verſatur. Inde cum regendis aliis diu aſſueverint, ſi ad imperium evehuntur, quaſi familiare ſibi regnum accipiunt, & majori habitu regnandi, quam fratres defuncti principis,qui in imperio tam ſollicite non verſantur, inſtructi ſunt, & ex illo habitu prærogativam poſſunt deſiderare. Et reipublicæ intereſt, ut magis primogeniti ſoboles quam fratres eo admittantur, cum, ſi ad patruos devolveretur regnum plane in aliam gentem ad alios homines deferri deberet, qui opibus, regnandi inſtrumentis & ſupellectile adeo inſtructi non ſunt, quam primogenitorum filii, qui & patrem, cui cives adſueverunt, ſimiliores eſſe credantur, & quidquid ad imperium ſupellectilis & nervi opus eſt, hereditate jam tum a parente acceperunt, atque adeo ſe expeditius ad imperium recte obtinendum poſſunt comparare. Adeoque propter ſuos habitus & reipublicæ cauſſa, non parentis jure ſuccedunt. Infantibus vero, & de quibus nulla ſpes, quamvis primogenitorum filii ſint, niſi forte propter opes ſoli ad imperium ſufficiant, patrui recte jure naturali præferuntur, niſi etiam hoc caſu ultima ratio noſtra illos excludat.

§. XXIII.

Axiom. 4. demonſt. cum conſ. & coroll.

A defectu habituum temporariorum oritur.

A defectu habituum temporariorum jura ætatis dependent, quia defectus illi habituum, unde jura deſcendunt, perpetuo mutantur & fluctuant, atque uſu & exercitatione & mora ſupplentur. Idque neceſſitate naturæ conſtitutum eſt,quæ vires ſuas & ſpiritus ſenſim & ſucceſſive elaborat ſine quibus habitus adquiri non poſſunt. Enimvero ita ſenſim & ſenſim ſuccedimus ab infantia ad virtutem majorem, atque annos adultos, & inde porro ſuccreſcimus,donec ſummus flos & decus lente iterum flacceſcat, & vires emoriantur atque ad priorem imbecillitatem, in ſenectute redeamus. Atque ita artificioſe & non ſine conſilio Dei immortalis conſtitutum eſt, ut cum multa animalia ſtatim adoleſcant, atque ad maturitatem roboris & virtutis perveniant, homo lente & pedetentim ſuccreſcat, & vires ſparſim & raro colligat atque compingat. Scilicet cum hominis deſideria & conatus multo magis adverſus Dei finem quam brutorum impetus niterentur,

Digitized by Google

niterentur, his ambagibus & moris circumagendum fuit ingenium hominis ferox, donec ſenſim miteſcat, & ſocietati & mutuo, a quo abhorret, auxilio, cum ipſe egeat, adſueſcat, atque hac diſciplina & neceſſitate ad frugem adducatur, qui impatientiſſimus, & intolerabilis fuiſſet futurus, ſi vires ſub primum impetum ſuffeciſſent. *a*) Ita omnibus articulis humanæ vitæ alia atque alia beneficia debentur.

§. XXIV.

Conſect.

1. *Ætas media minima jura habet.*

Cum igitur per temporis ſucceſſionem longiorem natura viribus creſcere & habitus plures ſoleat parare, donec ſub extremam ætatem denuo labantur, & evaneſcant; manifeſtum eſt, mediæ & confirmatiſſimæ ætati multo minora, quam primæ extremæve in mere favorabilibus licere; cum illas virium inopia extantior duriorque urgeat, unde omnia noſtra jura & commoditates derivantur. Denique cum natura propter ſpirituum animalium diverſam copiam atque elaborationem, vel omni adhibita opera, eosdem habitus eodem tempore in omnibus individuis non effingat, ſed quorundam hominum ingenia & corpus ſero perficiat, quosdam repente juvet atque in maturitate conſtituat; patet, ad temporum articulos & annorum numerum ætatis jura exputari non poſſe, veluti ſi ſeptem annorum hominem ſemper velis infantem, vel quatuordecim, puerum appellare; ſed poſſe ſeptennem vel decennem inter juvenes ſi natura ſuadeat, referri; adeoque ex ſua quemvis virtute & habitu non ex annis æſtimandum, & jura tribuenda, quia ex illo ſolo intelligitur, quid cuique voluerit creator præſtari. Adeoque ætas & ordo non ex annis, ſed ex indole & viribus judicatur.

2. *Ergo non ex annis ſolis ordo & ætas conſtitui poteſt,*

3. *Pubertas ex corporis habitu, non annis judicanda.*

Hinc neque pubertatis nec majorennitatis tempora eodem articulo definienda ſunt, neque eadem lege jus reddi omnibus debet, ſed in his caute & circumſpecte verſandum eſt, ut ne in alios injurium ſit, quod in quibusdam rectum deprehendebamus. Inde viſi ſunt mihi paullo rectius cenſuiſſe ante Juſtinianum JCti, qui pubertatem ex corporis habitu & virtute, (quod Tribonianus de indecenti corporis inveſtigatione male interpretatus videtur) & membrorum confirmatione potius judicarunt, quam ut eadem lege ſec. I. fr. C. Qv. Jur. eſſe deſ. & pr. In. Q. m. fin. tul. illam 12. vel 14. anno definirent, quod ſpatium & præcipere interdum, & longius trahere ſolet natura, donec datum ſibi negotium abſolvat. Hinc potes vel trigeſimo anno lentæ naturæ hominem, juvenem vocare, maſculum & erectum hominem longe etiam ante hæc tempora ad viros referre. Ita ſatius eſt, naturæ nos ingenium in conſtituendis officiis & juribus ſequi, quam uti ex noſtro illam numero, & conſtitutione neceſſitates ſuas perficere arbitremur.

§. XXV.

a) Puſendorff. de Jure nat. & Gent. VII. 2. 5.

492 Google

§. XXV.

3. *Ætatis jus minus eſt quam jus ſexus.*

Tandem, quia habitus noſtri temporarii ſunt, & vires perpetuo mutantur, manifeſtum eſt, etiam ætatis jura, quæ ex virium diſpoſitione dependent, incerta & mutabilia eſſe, atque interdum levi momento & intervallo exſpirare. Patet exinde porro cum habitus temporarii ſint, ſexus perpetuus, & nulli viciſſitudine ſubjectus, (quia mares nunquam in fœminas ſolent mutari) ſexus prærogativam potiorem eſſe, quam jura ætatis, & ex illo plura beneficia derivari. Inde evenit, ut ubi de obligationibus quæritur, ut in imperiis obtinendis, florentiſſiæ principi filiæ vel infantem marem præferri, *a*) quia & maſculos natura ad laborem atque ingenii operas magis compoſuit, & fœminas vel corporis certe cauſſa, (ut gravidas & lactantes) eſſe opis alienæ magis coëgit indigere. Inter privatos, ſi de favore & commodis controverſia eſt, ſequioris ſexus hominibus vel maxime adultis, certius, quam primæ & tenerrimæ ætatis maſculo recte proſpicimus, qui vel ſua virtute contra impetum magis ſibi poteſt, quam fœminæ, ſufficere.

§. XXVI.

Axiom. 5. Demonſtr. cum conſect. & corollar. A defectu virium naturali dependet.

A defectu virium naturali jura ætatis dependit, quia culpa noſtra prolapſæ, aut oſcitantia & temeritate neglectæ favorem legis nullum habent, neque aliqua ope aut emolumentis ex creatoris voluntate juvantur. Adeoque niſi naturaliter aliquid nobis deſit, ſed a nobis fuerit proſtratum & perditum, nullam ab aliis opem poſſumus exſpectare. Neceſſitati & indigentiæ noſtræ largiter proſpectum eſt; & ſi quid nobis per naturam deſit, illud aliunde ſatis penſatur. Libidini vero & ignaviæ ſuffugium natura nullum poſuit, neque reliquis imperavit, ut ingenuas vires aliorum inertiæ devorandas exhibeant. Et quamvis abundantibus noſtris

1. *Ergo ignavis propter rempublicam non ex illorum proprio jure ſuccurritur.*

viribus tum quoque, ſi alter ſe ipſum debilitavit, ſuccurrere poſſe videamur, ne vires eorum inertes & inutiles jaceant; tamen vires naturæ a creatore ita diſpenſatæ ſint, ut niſi quisque ſuas etiam vires colat, aliorum abundantia ipſi juvando impendi non poſſit; Semper enim aliquis ſupereſt, qui illa noſtra abundantia naturaliter & absque culpa egeat, cui noſtræ vires & auxilium hac ratione ſubtraherentur Quia igitur quisque ad ſuas vires colendas obligatur, manifeſtum eſt, creatorem homini non plures facultates indulſiſſe, quam ad aliorum neceſſitatem & indigentiam naturaleth ſufficiant. Si enim quilibet, ſuam naturam ſatis perficeret, reliqui ſpiritus, qui nullius neceſſitati inſervirent, inutiles erant futuri; Deus vero

a) Grot. de Jure belli & pacis II. 7. 18. Pauſan. l. 2. de Sparte Eurotæ ſuccedente, & L. III. de Creuſa regnum Athenarum propter defectum marium demum adipiſcente.

Digitized by Google

vero nobis per ſuam perfectionem fruſtra nihil potuit creare, neque nobis
concedere. Cum igitur plures nobis vires datæ non ſint, quam quibus
ad aliorum neceſſitatem naturalem juvandam egemus, apparet, ſi in in-
eptos, & negligentes prodigi eſſemus, vires noſtras illis ſubtrahi quibus
e voluntate numinis deſtinabantur. Patet exinde porro, qui vel in adul- 2.
tiori ætate pueri ſint & inepti ad rem gerendam, noſtra miſeratione, aut
juniorum jure propter habituum defectus indignos eſſe, quia ab ipſis pen-
debat, an hunc defectum ſua voluerint opera penſare. Adeoque nec 3.
prodigorum, nec ardelionum pauperumque multorum alimentis & edu- *Prodigi ardeliones multi pauperes ope indigni.*
catione rempublicam privatosve onerandos eſſe, quia vel inter ingenuos
multi ſint, qui noſtram opem recte poſſint deſiderare. Et quamvis inter-
dum reipublicæ ſalutare ſit, illos, ne civibus & reip. oneri ſint, ad veritatem
& virtutem inſtrui, & neceſſitati illorum ſubveniri; non tamen hoc in
illorum favorem præſtatur, neque ſuo jure id poſſunt poſtulare: Verum
in ſocietatem hoc officium indirectum eſt, & reipublicæ in ejus emolu-
mentum præſtatur, ut ipſa quamvis perditum civem, cuidam tamen uſui
poſſit adhibere.

§. XXVII.

Si opem ex ætatis jure poſcimus, ab illis exſpectanda eſt, qui viribus *Axiom. 6 Demonſtratio & conſect.*
illis abundant quibus ipſi indigemus. Neque enim advocare ad juvanda
noſtra commoda illos poſſumus, qui ipſi egent, aut ſuis neceſſitatibus
nondum proſpexerint. Et quia creator omnes eodem naturali amore *Ab illis jura exſpectanda, qui vires illas poſſident.*
complectitur, quemvis ſibi primum conſulere voluit, neque vires noſtras
nobis neceſſarias aliis voluit impendi, donec plurium neceſſitas noſtro
unius periculo ſit redimenda. Sua cujusque inter pares ſors prima eſt, quia
niſi primum ſibi quisque conſulat, ad officia reipubl. præſtanda ineptus eſt.
Aliis, ſi quid ſupereſt, viribus abundantibus ſubvenimus. Inde colligi- 2.
tur, in illis neceſſitatibus, quas ætatis jure deſideramus, ejusdem ætatis *Ejusdem ætatis homines ſibi non poſſunt ea præſtare.*
homines ſibi ſubvenire non poſſe, quia eodem virium defectu illi laborant,
qui ad eandem ætatem moraliter conſideratam pertinebant. Ergo vel
adultiores junioribus, vel ſenibus juniores ad illa præſtanda obligati ſunt;
& quod infantibus deeſt, juvenes habent, in quo juvenes deflectunt, in illo
regi a majoribus poſſunt. Ita providenti conſilio creatoris conſtitutum
eſt. Enimvero ut ne unius ſaltim ætatis homines invicem ſocietates in- 3.
eant, & ſuam ſaltim neceſſitatem juvent, reliquis vero, qui in alia ætate
conſtituti ſint, inſultent, illorum indigentiam contemnant; plurimos ita
invicem miſcuit & conjunxit, ut ſine alterius commercio neutra ætas poſ-
ſit durare; ſed quod ſibi deeſt, in altero deprehendat; inde perpetua con-
junctione homines coëant, amicitias jungant, ſe mutuo colant & veneren-
tur, tandem omnes ordines & dignitates, pueri, juvenes, ſenes, ſummi, in-

493 Digitized by Google

ſimi in unum corpus confluant,atque ad creatoris voluntatem junctis viribus rem ſuam ſtrenue faciant.

§. XXIIX.

Axiom. 7. Demonſtr. Favorabile eſt jus ætatis. Si opem ex ætatis jure poſcimus, commoda quædam deſideramus; quia jus omne in aliquo favore poſitum eſt, & inutile foret, niſi aliquod inde emolumentum atque voluptatem exſpectaremus: & parùm nobis eſſet per jura proſpectum, niſi noſtræ neceſſitates inde juvarentur.

§. XXIX.

Axiom. 8. Extremo,ad rectius implendos fines Dei jus ætatis tendit, quia omne jus propter Dei fines & voluntatem conſtitutum eſt, neque alter niſi ad Dei fines poſſit obligari, ſine cujus obligatione jura noſtra nulla ſunt, & *Conſect.* 1. inutilia & fere pernicioſa. *a*) Patet exinde, neque ætatis jura abſoluta eſſe, neque in univerſum valere, ſed uti Dei fines propter reipublicæ faciem & circumſtantias, alii atque alii ſint, ita etiam ætatis jura ſubinde limitari 2. & in aliud referri. Adeoque nec opem ſemper & miſerationem, nec venerationem & obſequium propter ætatem aut ſenium omnes meremur, ſed illa officia propter commune periculum, ut in bellis tumultibus, aut propter alias neceſſitates mutantur aut extinguuntur.

§. XXX.

Animus erat, poſt generalem de Jure ætatis tractationem; ſpecialia diverſarum ætatum jura ex antiquitate & morum diſciplina ſtudioſius enucleare. Sed quia præter exſpectationem hæc exigua portio in diſſertationis Academicæ modum excrevit, hic ſubſiſto, & errorum, qui forte in diſſertatione acciderunt, veniam paciſcor. Infantiæ jura tibi proxime alio ſpecimine ſpondeo. Vale, B. L. & de nobis miti ſententia ſtatue.

a) Oſtenderent enim defectum, qui tamen a nemine juvaretur.

ΕΠΙ΄ΜΕΤΡΑ.

Cuicunque Deus aliquas perfectiones ad alium uſum non neceſſarias indulſit, illius felicitati proſpectum voluit.

Adeoque patet dari officia erga bruta ad minimum abſtinentiæ.

Inopia virium plura commoda & jura nobis indulget, quam virtus & merita.

Operatio memoriæ facillima eſt adeoque & in infantibus pleniſſima.

Digitized by Google